



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 13. Neq[ue] homines semper dubitare, quando per modum dubitantium
loquuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

Iliad. 6. ne posuerunt. Quod etiam Homeri exemplo docetur.

§. XIII.

Neg, homines semper dubitare, quando per modum dubitantium loquuntur.

Cur autem Deus quoque hac loquendi formula subinde vtatur, præter causas, quas modò attigi, tradit D. Gregorius, quando Deus dubitantis in morem loquitur, mysterium subesse, vult enim innuere, vel voluntatis nostræ libertatem, cui nimirum diuina voluntas, aut præscientia non imponit necessitatem, aut difficultatem rei: vel paucitatem facientium id, quo de agitur. Quòd si homo aliquis dubitanter loquatur, obseruandum est, an res sit eiusmodi, vt turpe sit, illum de ea dubitare. Nam

Act. 8. 22. quando Petrus ad Simonem dixit: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua: & roga Deum, si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui,* non dubitauit de remissione culpæ; cum ea ipsa sententia ostenderit, spem veniæ & pœnitentiæ locum nemini esse negandam. Iubet enim pœnitentiam agere eum, quem,

S. Ambros. loc. cit. & S. vt S. Ambrosius ait, *per magicam vanitatem, blasphemantem, in Spiritum Sanctum, & puram fidei conscientiam non habentem, Apostolica iam*

ca iam

ca iam auctoritate condemnauerat. Igitur non dubitauit de misericordia Dei Petrus, si Simon ageret poenitentiam: cum, praecipue si haec adsit, valde æquum sit, vt peccatoris sua culpa remittatur; neque dubitari fas sit de eo, quod adeò asseueranter affirmat Deus dicens: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Quia itaque de hoc Petrus non potuit dubitare, cur ait, *si fortè remittatur tibi?* Nempe quia dubitare potuit, an vera esset futura Simonis & poenitentia, & oratio; itémque, quod attinet ad poenam, an tantus futurus esset dolor, vt totius poenæ remissionem mereretur. Quod si verò neq;

homines, cum videntur dubitanter loqui, semper dubitant, quanto minùs Deus, quem nihil latet? Nimirum hoc est inter hominem ac Deum discrimen: homo, quia mentiri potest, multa, de quibus dubitat, pro certis affirmat; Deus, qui nec fallere potest, nec falli, etsi omnia certissimò nouit, tamen, vt se se homini accommodet, loqui dignatur, per modum, dubitantis; certus ipse, quid in vtramque partem euenturum sit; immò ita causas secundas, iuxta earundem naturas, disponens, & complicans, vt sit futurum.

August.
lib. de
vera &
falsa Pœ-
nit. c. 3.

Zach. 1. 3.

Ribera in
Ioëlem
cap. 2, à
num. 22.